



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Baconi Baronis de Verulamio, Vice-Comitis S.  
Albani, Summi Angliæ Cancellarii, Opera omnia, Quæ  
extant: Philosophica, Moralia, Politica, Historica ...**

**Bacon, Francis**

**Francofvrti ad Moenvm, 1665**

Præfatio.

**urn:nbn:de:bvb:12-bsb10497643-5**

NOVUM ORGANUM SIVE JUDICIA VERA  
DE INTERPRETATIONE  
NATURÆ

Organum hoc artem ipsam Interpretandi Naturam, & verioris ad operationis Intellectus, exhibet: neque eam ipsam tamen in Corpore tractatus iusti; sed tantum digestam per summas, in Aphorismos.

PRÆFATIO.



Uti de Naturâ, tanquam de re exploratâ, pronuntiare ausi sunt, sive hoc ex animi fiducia fecerint, sive ambitiosè, & more professorio; maximis illi Philosophiam & Scientias detrimentis affectè. Ut enim ad fidem faciendam validi, ita etiam ad inquisitionem extinguendam & abruptendam efficaces fuerunt. Neque virtute propria tantum profuerunt; sed, quantum in hoc, nocuerunt, quòd aliorum virtutem corruperint, & perdidierint. Qui autem contrariam huic viam ingressi sunt, atque nihil prorsus sciri posse asseruerunt, sive ex Sophistarum veterum odio, sive ex animi fluctuatione, aut etiam ex quadam doctrinæ copia, in hanc opinionem delapsi sint, certè non contemnendas ejus rationes adduxerunt; veruntamen nec à veris initiis sententiam suam derivarunt, & studio quodam, atque affectatione, profusum modum exceßerunt. At antiquiores ex Græcis (quorum scripta perierunt) inter pronuntiansi jaclantiam, & *Acatalepsia* desperationem, prudentius se sustinuerunt. Atque de inquisitionis difficultate, & rerum obscuritate, sæpius quæmonas & indignationes miscerunt, & veluti frantum mordentes, tamen propositum urgere, atque Naturæ se immiscere, non destiterunt: Consentaneum (ut videtur) existimantes, hoc ipsum (videlicet utrum aliquid sciri possit) non disputare, sed experiri. Et tamen illi ipsi, imperu tantum intellectus usi, Regulam non adhibuerunt, sed omnia in acri meditatione, & mentis volutatione, & agitatione perpetuâ, posuerunt.

Noltra autem ratio, ut opere ardua, ita dictu facilis est. Ea enim est, ut certitudinis gradus constituamus, Sensum per reductionem quâdam curamus, sed Mentis opus, quod Sensum subsequitur, plerumque rejiciamus; novam autem & certam viam, ab ipsis Sensuum perceptionibus, Mentis aperiamus, & muniamus. Atque hoc proculdubio viderunt & illi, qui tantas Dialecticæ partes tribuerunt. Ex quo liquet, illos Intellectui adminicula quævisse, Mentis autem processum nativum, & sponte moventem, suspectum habuisse. Sed serum plane rebus perditis hoc adhibetur remedium; postquam Mens ex quotidianâ vitæ consuetudine, & auditionibus, & doctrinis iniquitatis occupata, & vanissimis *Idolis* obfessa fuerit. Itaque Ars illa Dialecticæ, serdè (ut diximus) cavens, neque rem ullo modo restituentis, ad errores potius figendos, quàm ad veritatem aperiendam valuit. Restat unica salus, ac sanitas, ut opus Mentis universum de integro resumatur; ac Mens, iam ab ipso principio, nullo modo sibi permittatur, sed perpetuò regatur; ac res, veluti per machinas, conficiatur. Sanè si homines opera Mechanica nudis manibus, absque instrumentorum vi, & ope, aggressi essent, quemadmodum opera Intellectiva nudis seîs Mentis viribus tractare non dubitarunt; parvæ admodum suisfent res, quas movere & vincere potuissent, licet operas innixas, atque etiam conjunctas præstitissent. Atqui si paupis per morari, atque in hoc ipsum exemplum, veluti in speculum, intueri velimus; exquiramus (si placet) si forte obelitus aliquis, magnitudine insignis, ad triumphum vel hujusmodi magoificentiæ decus transferendus esset, atque id homines nudis manibus aggredierent, annon, hoc magnæ cujusdam esse dementia, spectator quispiam rei sobrius fateretur? Quod si numerum augerent operatorum, atque hoc modo se valere posse considerent, annon tanto magis? Sin autem delectum quendam adhibere vellent, atque imbecilliores separare, & robustis tantum & vigentibus uti, atque hinc saltem se voti compotes fore sperarent, annon adhuc eos impensius delirare diceret? Quin etiam, si hoc ipso non contenti, artem tãdem athleticam consulere statuerent, ac omnes deinceps manibus, & lacertis, & nervis ex arte bene unctis, & medicatis, adesse juberent, annon prorsus eos dare operam, ut cum ratione quadam & prudentia insapirent, clamaret? Atqui homines tamen simili malefano imperu, & conspiratione iuruli, feruntur in Intellectualibus; dum ab ingeniorum vel multitudinæ & consensu, vel excellentiâ, & acuminæ, magna sperant; aut etiam Dialecticæ (quæ quaedam Athletica censei possit) mentis nervos roborant: Sed interim, licet tanto studio & conatu, (si quis vere judicaverit) intellectum nudum applicare non desinat. Manifestissimum autem est, in omni opere magno, quod manus hominis præstat, sine instrumentis & machinis, vires nec singulorum intendi, nec omnium coire posse.

Itaque ex his quæ diximus præmissis, statuis, duas esse res, de quibus homines plane monitos volumus, ne forte illas eos fugiant, aut prætereant. Quarum prima hujusmodi est, fieri fato quodam (ut existimamus) bono, ad extinguendas & depellendas contradictiones, & tumores animorum; ut & Veteribus honor & reverentia intacta & immutata maneant, & nos destinata perficere, & tamen modestiæ nostræ fructum percipere possimus. Nam nos, si profiteamur, nos meliora asserere quàm antiqui, eandem quam illi viam ingressi; nullâ verborum arte efficere possimus, quin iudicatur quædam ingenii, vel excellentiæ, vel facultatis comparatio, sive contentio; non ea quidem illicita, aut nova; (quidni enim possimus, pro jure nostro, (neque eo ipso alio, quàm omnium) si quid apud eos non rectè inventum aut positum sit, reprehendere, aut notare!) sed tamen utcunque iusta aut permilla. Nihilominus impar fortasse fuisset ea ipsa contentio, ob virium nostrarum modum. Verùm quum per nos illud agatur, ut alia omnino via Intellectui aperiar, illis intentata & incognita, commutata jam ratio est; cessant studium & partes; nosque in dicit tantummodo personam sustinemus; quod mediocris certe est auctoritatis, & fortunæ cujusdam potius, quàm facultatis & excellentiæ. Atque hæc moniti species ad Personas pertinet, altera ad Res ipsas.

Nos siquidem de deturbanda ea, quæ nunc floret, Philosophia, aut si quæ alia sit, aut erit, hac emendatior, aut auctior, minime laboramus. Neque enim officimus, quin Philosophia ista recepta, & aliæ id genus, disputationes alant, Sermones ornent, ad professoria munera, & vitæ civilis compendia, adhibeantur, & valeant. Quin etiam aperte significamus, & declaramus, eam quam nos adducimus Philosophiam, ad istas res admodum utilem non futuram. Non præsto est; neque in transitu capitur; neque ex prænotionibus Intellectui blanditur; neque ad vulgi captum, nisi per utilitatem, & effecta, descendit.

Sint itaque (quod felix faustumque sit utriusque parti) duæ doctrinarum emanationes, ac duæ dispensationes duæ similiter Contemplantium sive Philosophantium Tribus, ac veluti Cognationes; atque illæ neutiquam inter se inimicæ, aut alienæ, sed foederatæ, & mutuis auxiliis devinctæ: sit denique alia Scientiæ Colendi, alia Inventiendi ratio. Atque quibus prima potior & acceptior est, ob festinationem, vel vitæ civilis rationes, vel quod illam alteram ob mentis infirmitatem capere & complecti non possint; (id quod longe plurimis accidere necesse est) optamus, ut iis feliciter & ex voto succedat quod agunt; atque ut quod sequuntur, teneant. Quod si cui mortaliū cordi & curæ sit, non tantum Inventis hæerere, atque iis uti, sed ad ulteriora penetrare; atque non disputando adversarium, sed opere naturam vincere; denique, non belle & probabiliter opinari, sed certo & offensivè scire; tales, tanquam veri Scientiarum filii, nobis (si videbitur) se adjungant; ut omnis Naturæ attris, quæ infiniti contriverunt, aditus aliquando ad interiora pateant. Atque ut melius intelligamur, utque illud ipsum quod volumus, ex nominibus impoitis magis familiariter occurrat; altera ratio, sive via, *Anticipatio Mentis*; altera, *Interpretatio Naturæ*, à nobis appellari consuevit.



Est etiam quod petendum videtur. Nos certe cogitationem suscepimus, & curam adhibuimus, ut quæ à nobis proponuntur, non tantum vera essent, sed etiam ad animos hominum ( licet miris modis occupatos, & interclusos ) non incommode & aspere accederent. Veruatamen æquum est, ut ab hominibus impetremus, ( in tantum præsertim Doctrinarum & Scientiarum restauratione ) ut qui de hisce nostris aliquid, sive ex sensu proprio, sive ex auctoritatum turba, sive ex demonstrationum formis, ( quæ nunc tanquam Leges quædam judiciales invaluerunt ) habere, aut existimare velit; ne id in transitu, & velut aliud agendo, facere se posse speret; sed ut rem pernoscatur; nostram, quam describimus & munimus, viam ipse paulatim tentet; subtilitati rerum, quæ in experientia signata est, assuescat; pravos denique, atque alte hærentes mentis habitus, tempestiva, & quasi legitima mora corrigat; atque tum demum ( si placuerit ) postquam in potestate sua esse cõperit, iudicio suo utatur.

## LIBER PRIMUS.

Digestus in

## APHORISMOS.

A P H O R I S M I

de Interpretatione

N A T U R Æ,

&amp;

Regno Hominis.

## A P H O R I S M V S

I.



**H**omo Naturæ minister, & Interpretans tantum facit & intelligit, quantum de Naturæ Ordine re, vel mente, observaverit: nec amplius scit, aut potest.

II.

**N**ec manus nuda, nec Intellectus sibi permittitur, multum valet, Instrumentis & auxiliis res perficitur; quibus opus est, non minus ad intellectum, quam ad manum. Atque ut Instrumenta manus motum aut cient, aut regant; Ita & Instrumenta Mentis, Intellectui aut suggerunt, aut cavent.

III.

**S**cientia & Potentia humana in idem coincidunt, quia ignorantia causæ destituit effectum. Natura enim non nisi parendo vincitur: Et quod in Contemplatione instat causæ est; id in Operatione instat Regulæ est.

IV.

**A**d opera nil aliud potest Homo, quam ut corpora naturalia admoveat, & amoveat: reliqua, Natura intus transigit.

V.

**S**olent se immiscere Naturæ (quoad Opéra) Mechanicus, Mathematicus, Alchymista, & Magus: sed omnes (ut nunc sunt res) conatu levi, successu tenui.

VI.

**I**n sanum quiddam esset, & in se contrarium, existimare, ea, quæ adhuc nunquam facta sunt, fieri posse, nisi per modos adhuc nunquam tentatos.

VII.

**G**enerationes Mentis & Manus numerosæ admodum videntur in libris, & Opificiis. Sed omnis ista varietas sita est in subtilitate eximia, & derivationibus paucarum rerum, quæ innotuerunt; non in numero Axiomatum.

VIII.

**E**tiam Opéra, quæ jam inventa sunt, Casui debentur, & Experientia, magis quam Scientiis: Scientiæ enim, quas nunc habemus, nihil aliud sunt quam quædam Concinnationes rerum antea inventarum; non modi inveniendi, aut designationes novorum Operum.

IX.

**C**ausa vero & radix fere omnium malorum in Scientiis ea una est; quod dum Mentis humana vires falso miramur & extollimus, vera e jus auxilia non quaeramus.

X.

**S**ubtilitas Naturæ subtilitatem Sensus & Intellectus multis partibus superat; ut pulchra illæ meditationes, & speculationes humanæ, & Cautationes, res malefana sint, nisi quod non adsit qui advertat.

XI.

**S**icut Scientiæ, quæ nunc habentur, inutiles sunt ad inventionem Operum: Ita & Logica, quæ nunc habetur, inutilis est ad inventionem Scientiarum.

XII.

**L**ogica, quæ in abusu est, ad errores ( qui in Notionibus vulgaribus fundantur ) stabilendos & figendos valet, potius quam ad inquisitionem veritatis; ut magis damnosa sit, quam utilis.

XIII.

**S**yllogismus ad Principia Scientiarum non adhibetur, ad media Axiomata frustra adhibetur, cum sit subtilitati Naturæ longe impar. Assensum itaque constringit, non res.

XIV.

**S**yllogismus ex Propositionibus constat, propositiones ex verbis, verba Notionum tesserae sunt. Itaque si notionis ipsæ, ( id quod basis rei est ) confusæ sint, & temere à rebus abstractæ; nihil in iis, quæ superstruantur, est firmitudinis. Itaque spes est una in Inductione vera.

XV.

**I**n Notionibus nil sani est; nec in Logicis, nec in Phycis; non *Substantia*, non *Qualitas*, *Agere*, *Pati*, ipsum *Esse*, bonæ notionis sunt; multo minus *Grave*, *Leve*; *Densum*, *Tenne*; *Humidum*, *Siccum*; *Generatio*, *Corruptio*; *Atrahere*, *Fugare*, *Elementum*, *Materia*, *Forma*, & id genus; sed omnes phantasticæ & male terminatæ.

XVI.

**N**otiones infimarum Specierum, *Hominis*, *Canis*, *Solumba*, & prehensionum immediatarum sensus, *Calidis*, *Frigidis*, *Albi*, *Nigri*, non fallunt magnopere; quæ tamen ipsæ à fluxu Materie & Commissionem rerum quandoque confunduntur; reliquæ

*Ma in medicina*

*si non quædam  
medicinis?*